



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De  
Expedita Ad Dei Amorem Via**

**Comalada, Miguel**

**Elvaci, 1685**

Cap. III. De Amore Dei & Proximi, & de alio Amoris Gradu, ejusq[ue]  
functione sive officio & exercitio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60062)

compellavit: Obsecro, id mihi præstes beneficij, ut patefacto aditu, liceat mihi Herum tuum accedere, AMOR PROX. Æquum sanè est id, ut fiat, quando quod in te est, facere studuisti. Sustine igitur parumper. En Dominum meum accersitum pergo, exploratumque, num tecum colloquendi gratia foràs prodire velit.

*De Amore DEI & Proximi, & de alio Amoris gradu, ejusque functione sive officio & exercitio.*

### CAPUT III.

**D**Esiderius interim hanc animò versabat cogitationem, num Amor DEI ad ipsum colloquendi gratià exiturus foret, secum ipse pensitans, usque ad eò vilem, inopem ac miserum se esse, planeque indignum, quicum tantis tamque illustris Dominus verba misceret. Atque sub hisce cogitationibus quendam ad se



accedentem intuitus est, sibi que di-  
 centem: Quid tibi vis frater, quid ve-  
 petis? DESID. Amorem DEI in-  
 quiro Domine mi. AMOR DEI. Is  
 nimirum ego sum. Quibus auditis,  
 mox Desiderius humi collapsus, &  
 viribus destitutus est. Tum verò  
 Amor DEI prehensa illius manu,  
 eum crexit. Videns autem se ab  
 Amore DEI erigi, largiores fudit la-  
 chrymas, ita ut verbum edere non  
 posset ullum, in tantum, ut etiam ipse  
 DEI Amor, qui nobilis admodum &  
 & suavis corde est, ex condolentia si-  
 mul lachrymaret, dum illum ploran-  
 tem cerneret, maximoperè admirans  
 ingentem erga se Desiderij charita-  
 tem, desiderium ac bonam volunta-  
 tem, quandoquidem præ gaudio &  
 consolatione tam ubertim lachrymas  
 emitteret: aitque ad illum: AMOR  
 DEI: Obsecro, plorare desine, nec  
 me cruciare pergas. Neque enim  
 absque dolore, me amantis lachry-  
 mas cernere queo. Sed dic, oro, quis  
 H 2 tibi



tibi hinc in ædibus me demorari indicavit? **DESID.** Pastor quidam ovium, quem in itinere obvium habui, & viam mihi demonstravit, & tui apud me mentionem fecit. **AMOR DEI.** Quidnam de me tibi retulit? Quid verò causæ est, quare me tam impensè amas, tantoque mei desiderio teneris? Ea ne ex causa ita me diligis, quòd ex aliis didiceris, multa me amicis meis præstare bona, mihique famulantibus ac obsequentibus dona ingentia, grandemque consolationem præbere solitum? **DESID.** Nequaquam; sed eo nomine sic te diligo, quòd illustris, nobilis ac bonus sis Dominus: tum etiam, quòd amicos tuos eò perducas, ubi **DEUM** videant, quâ nulla est in mundo major felicitas ac beatitudo. His auditis, mirificè Amori **DEI** tam sanctum Desiderij propositum, quo illum diligebat, arrisit, cœpitque eum amare vehementiùs. Porro Desiderius: Hoc, inquit, mi Domine, admodum de-



demirari non desino, quòd, cùm tam  
 eximius sis heros, tamque præpoten-  
 tis Regis filius, te inquirentibus tan-  
 tum facessas negocij, tamque ægrè te  
 patiaris inveniri. AMOR DEI. Ne  
 ita loquaris: plures hoc latet mysteri-  
 um. Sunt namque, qui se putent,  
 necdum me invenisse, agnovisse, vel  
 percepisse, cùm tamen ego illis pro-  
 ximus sim, ipsique me pleni sint &  
 abundant. Sunt item alij, qui sibi  
 persuasum habeant, se jam reperisse  
 me ac obtinuisse, cùm tamen à me  
 longè distent, nec mei notitiam ade-  
 pti sint. DESID. Conditiones tu-  
 as officiumque tuum, precor, expli-  
 ces, quò scire mihi liceat, utrùmne  
 conjunctus & vicinus tibi sim, an abs-  
 te alienus. Siquidem te Domini &  
 Amici loco habeo. AMOR DEI.  
 Officium meum est, diligere DEum:  
 aiunt verò, me esse Cognitionis DEI  
 filium. DESID. Qua ratione DEum  
 amas? AMOR DEI. Vehemens me  
 tenet desiderium, illum toto corde,



totâ animâ & cunctis viribus diligendi, & nihil non tentandi, quò illum sentire ac experiri queam, eo modo & gradu, quo illi placet, omnia ad ejus honorem, laudem & gloriam, & animæ meæ salutem referendo. Itidemque precor ac exopto, ut totus eum orbis ob illius infinitatem ac ineffabilem bonitatem cognoscat, utq; à creaturis omnibus honor illi habeatur, gratesque & laudes agantur. Atque unâ cum hoc ipso desiderio meo vim quandam mihi adhibeo, ut ne in parvis vel magnis, paucis vel multis illum offendam, nec quicquâ admittam, quod illi invisum sit, aut displicere queat. Quòd si ita eveniat, ut ex imbecillitate mea illum offendam, mox ab eo veniam petere soleo, sicque lasa, haud secùs quàm antè, inter nos amicitia instauratur. Atqui cum Dominus meus tam nobilis, dulcis, pius ac bonus sit, neutiquam hoc primo gradu contentus sum, sed insuper alium sector, cum  
vi-



videlicet, ut pro virium mearum exiguitate faciam & exequar, quicquid vel ipse, vel minimus ac infimus quisque hujus domûs, ejus nomine mihi præceperit. Id verò ingenti cum reverentia, devotione, amore, gaudio, humilitate, maximeque bona voluntate, & quidem semper & ubique & in omnibus facere consuevi. Atque hinc nôsse mihi licet, quantum illum diligam, quando id ago, quod ipse jubet. Enimverò sic mihi persuasum habeo, nihil in toto mundo æquè illi gratum esse, etiamsi sit cum illo colloqui, illi officiosè famulari, aut præstare reverentiam, vel mira quædam agere, quàm si id efficiam, quod aut ipse, aut illius vice vel nomine, quispiam alius minimè vanus aut mendax me facere jusserit. Ipse namque Dominus meus ait: Quinam putas, tua mihi possint grata esse servitia, aut te abs me diligi debere, si non facias, quæ præcipio tibi? Quinam affirmare potes, quòd me diligas? Id

H 4 nam-



namque certum habere debes, nullare alia æquè spiritum tuum te mihi posse conjungere & unire, aut voluntatem tuam perinde meæ conformare ac subjicere, quàm, si libenter & ex animo exequaris, quæ ipse jussero.

*Prosequitur adhuc Amoris DEI in eodem gradu officium.*

## CAPUT IV.

**I**N hoc eodem amoris gradu planè mecum constitui, ea omnia exequi, ad quæ efficienda ratione vocationis & officij mei obligatum me novi. Quando enim semel me obligavi, (cujus me neutiquam pœnitet) in præceptum mihi jam transit, quod antea sine DEI offensione vel facere, vel omittere licuisset. Eam ob rem officium meum diligenter perpendere soleo, eaque, quæ ad aliud pertinent exercendum meliusq; exequendum, semper quidem pro sapientum consilio, juxtaque Scripta Di-

vi-